

*[Faint, illegible handwriting on a large sheet of paper, possibly bleed-through from the reverse side.]*

1  
72  
ga  
9.0  
10.  
11.0  
129,  
139



DE

78  
1750  
LXXV.  
18/2/16

# SVBSTITVTIONE RECIPROCA

EIVSQVE

## A IVRE ADCRESCENDI DISCRIMINE.

---

PRAESIDE

VIRO CONSVLTISSIMO. ATQVE DOCTISSIMO

IOANNE HARTWICH REVTERO

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE

AD DIEM IV. IVLII cō IOCCCL.

DISSERET

AVCTOR RESPONSVRVS

IOANNES EBERHARDVS SVTORIVS

CAMINO-POMERANVS.

---

HALAE

LITTERIS HENDELIANIS.

(5)

XXVIII. G. et. XXIX. 2.

SVBSTITVTIONEM REPERITIO

PRIMUM

IN TERRA ADGRIECONIUM

DISCIPULI

VERO CONSTITUTIO

IOHANNIS BAPTISTAE

AD TERRAM

IOHANNIS BAPTISTAE

DISCIPULI

PRIMUM

IN TERRA ADGRIECONIUM





§. I.



Si qua heredis institutio facta, vel vnus saltem heres *Notio substitutio- nis euoluitur.* scriptus est, vel plures. Posteriori in casu vel vnus scriptorum heredum hereditatis adquisitio alterius adquisitio- nem hereditatis, in quam institutus est, determinat, vel non. Si prius, vel ira determinat, vt vterque saltem ratione vnus eiusdemque hereditatis heres directus esse debeat, vide *l. 83. ff. de hered. inst.* vel non, seu subordinate determinat. Posteriori in casu *substitutionem* factam esse dicimus. *Substitutio* igitur non est, nisi ea heredum institutio, vi cuius vnus hereditatis adquisitio (vel quatenus ponitur, vel quatenus non ponitur) subordinate determinat (quoad esse) adquisitio- nem hereditatis, in quam alter heres scriptus est. Is in substitutio- ne, cuius adquisitio determinat *heres institutus in specie* dicitur, cuius vero adquisitio determinatur, *heredis substituti* nomine venit. *Omnis igitur substitutio inuoluit heredis institutionem ratione substituti qua talis voluntariam.*

Heredis institutionem opponi interdum substitutioni inficias equidem non iuerim. Vide *l. 1. pr. de vulg. & pup. subst.* sed in sensu strictiori tum eandem sumi, palam omnino est. Ipsum au- tem

A

tem

rem substitutionis vocabulum in latiori adhuc atque vulgari sensu in iure nostro obuius est, adeo, vt in legatarios, fideicommissarios particulares, mortis causa donatarios &c. quoque cadat. vide l. *co. pr. de leg. 2. l. 36. §. 1. de cond. & demonstr. l. 30. §. 11. de adm. & per. tut.* Parum autem idem ille hic mihi curæ est cordique, animus ab omni alia cogitatione ad reciprocam substitutionem traducendi. Frustra, quantum ego quidem adhuc scio, vsque dum contriuerunt operam DD. in eruenda idonea substitutionis definitione, si qua alias, periculosa, substitutionem pupillarem atque obliquam sub se comprehendenti collocatam. Glossa equidem substitutionem definit secundam heredis institutionem. Sed non omnium DD. calculum eadem ruit, non modo obscuritatis, verum etiam, quum substitutionum series ad tertiam institutionem & ultra haud raro sese extendat, nimie angustie arguentium. Et quamuis VINNIVS in *Com. ad t. f. de vulg. subst. n. 3.* sub secunda heredis institutione & tertiam & reliquas complexi veteres atque vti omnes nuptiæ, quæ post primas contrahuntur, secundarum nuptiarum nomine veniunt, ita secundam heredis institutionem omnem institutionem post primam factam denotare arguetur; cuiusmodi tamen est coniectio, quam nescio, an ad verisimilitudinem adscendat. Vide enim SVETONIUM in *Claudio c. 6.* Plerumque cum DVARENO substitutionem definiunt institutionem heredis secundo vel ulteriori gradu factam. Sed non desunt quoque, quibus, inuita licet Themide, pupillaris substitutio proprie non tam substitutio quam noua potius institutio visa sit. Vide *Beat. BOEHM. D. t. de vulg. & pup. subst. §. 10.* Quum autem definitio nostra in medium prolata, non modo omnes substitutionum species sub se comprehendat, verum etiam substitutioni ab heredis & maxime coheredis institutione quauis discernende sufficiat; scopulos sane nos præternauigasse putamus, quos offenderunt alii. Id autem ex nostro substitutionis conceptu nemo non ex facili largietur, non esse, quod substitutionis nomine insipientiam heredis institutionem soli alii factam. Quam quidem validam esse nullus dubitauerit, si a milite proficiscatur, quippe cui ex iure prorsus singulari, nullo licet sibi condito testamento, liberis suis naturaliter intestabilibus heredem scribere licet, l. 2. §. 1. *de vulg. & pup. subst. l. 15. §. pen. de testam. mil.*

mil. Sed intuitu fideicommissariae substitutionis, quam in sequenti §. ex notione substitutionis suppeditata euolutam dabo, Gordius adesse videtur nodus, si doctrinam vulgo tradi solitam cogitamus, vi cuius hereditas fideicommissaria ipso iure restituta habetur, si aditio hereditatis morte heredis fiduciarii aliaue causa praepedita fuerit. Vide sis l. 14. C. de fideic. l. 7. §. 1. C. ad Sc. Trebell. Quo jam filo Ariadæo huic labyrinthum euademus? Quum dubium specie sua non careat, haud abs re & a scopo alicuius differtationis, opinor, erit, discussionem ipsius ipsis seruare disputationibus coram instituendis.

## §. II.

Substitutio inuoluit heredam institutionem (§. I.); sed institutio hæc vel ita facta est, vt instituto vni hereditatis (siue totius siue partis quotæ) restitutionem alteri faciendam substituens iniunxerit, vel non. Priori casu, substitutio dicitur *fideicommissaria*, seu *obliqua*, seu *indirecta*, posteriori vero *directa*. Directa vel ita comparata, vt substitutus heres substituenti scriptus sit in casum deficientis heredis instituti, vel non. Prior *substitutionis vulgaris*, seu *substitutionis per eminentiam*, posterior vero *substitutionis non vulgaris* nomine venit. Substitutio non vulgaris inuoluit heredis institutionem, liberis propter impedimentum naturale intestabilibus factam in casum, si in eiusmodi statu decesserint. Quare vel pater liberis suis in potestate sua constitutis propter ætatem impuberem intestabilibus substituit, vel non, adeoque propterea, quod emotæ mentis sint, intestabilibus substituitur. Illo in casu *substitutio pupillaris*, hoc vero *quasi pupillaris* seu *exemplaris*, seu *Iustiniana* audit.

*Substitutio dicitur in directam & fideicommissariam, directa iterum in vulgarem pupillarem & quasi pupillarem.*

Variam variis in personis in substitutione vulgari illud: *si heres non erit*, accipere explicationem notant DD. atque in suis heredibus non modo casum, quo suus, viuo adhuc substituente, decesserit, aliaue ratione acquirenda hereditatis incapax redditus,

verum etiam casum, quo se ab hereditate abstinuerit. complecti: in reliquis vero heredibus, qui sui iuris sunt, innuere, si neque hereditatem sibi adquisuerint, neque alium, mutato statu, heredem fecerint: in iis vero, qui alieno iuri subiecti sunt, significare, si neque ipsi heredes fuerint, neque ei hereditatem adquisuerint, in cuius potestate existunt. Vide §. vit. *J. de subst. vulg. & vinn. ad pr. J. de vulg. subst.* Extra omnem autem dubitationis aleam vindictarum esse existimo, conditionem expressam: si heredes non erit & casum voluntatis & casum impotentiae sub se comprehendere. Sed si alteruter casus falsim expressus in quaestione, an alter simul comprehensus sit? contentiois terra inter DD. reciprocatur. Quamvis autem, qui negant, non sine supercilio legem 21. de vulg. & pup. & l. 10. de lib. & posth. obuertant, vide VINN. l. c. nihilo tamen minus secundum eos qui adfirmantem sententiam tenent, lis danda videtur, utique si de contraria testatoris voluntate manifesto non constet. Quum enim testator institutum magis quidem, quam substitutum, substitutum tamen magis, quam intestato heredes dilexisse habendus sit; certe substitutum heredem scribens in casum voluntatis propter spem deinceps deficientem, qui potest praesumi testator quod iam in casum impotentiae & vice versa heredes ab intestato pro substituto amore prosequi ceperit? Quin igitur ut alterutrum casum falsim expresserit, nisi, quod alterum non expressum casum non existitum esse credit, testatorem non mouerit, ambigendum non est. Ex citatis LL. autem dissentientibus ob diuersissimas & ab hac re alienas dispositiones nullum praesidium remanet. Argumento l. 3. de vulg. & pup. subst. l. 22. ad Sc. T. obell. l. 56. solut. matr. adhuc vritur nobis cum faciens STRVVIVS Ex. 33. §. 15. Sed exiguum huiusce quaestiois sub incudem reuocare forensium usum existimat THOMASIVS in not. ad ff. r. de vulg. & pup. subst. Quam enim propter frequentem usum vtilissimam alii iudicant substitutionis vulgaris doctrinam, vid. DAVTH. Com. de tes. am. ad l. 1. ff. de vulg. & pup. subst. eius viridem obseruantiam idem ille THOMASIVS negat in not. ad ff. r. de vulg. subst. Certe quum substitutionum causas ex iure romano decidendas atque iudicandas esse in dubium vocare non auit, ne tamen iuri huic usum quendam concedere



cedere videretur, alia ipsi via incedendum erat, ipsorumque casuum substitutionis vulgaris obuenientium frequentia neganda. Sed proletarium eius, tantoque ICTO indignum argumentum, ab vno alteroue casu, quo substitutioni de iure romano locus erat, hodie cessante ad vsum eius in foro rarissimum ductum calculum cordatorum non meretur.

§. III.

*Si substitutio facienda, in arbitrio substituentis est, quem, in arbitrio quomodo, ac in quam hereditatis partem substituere velit, dumne substituentis dispositio naturam substitutionis evertat. Si tamen in substitutio est, quem ne de voluntate substituentis contraria non constet, ad idem substitutus vocatus censetur, ad quod institutus.* Substitutio enim, in quam saluis omnibus eius essentialibus, tam ratione heredum, quam partem substituti vocandi & partium adscriptarum infinite varias adhuc lit. *Quid adcipere potest formas (§. 1).* In heredis institutione voluntaria autem in arbitrio testatoris est, quem sibi scribere velit *dubio?* heredem partes modumque determinare, quo in vniuersum suum ius succedere debeat, dumne dispositio eius naturæ institutionis aduersetur (per vulg. iur. pr.). Quum igitur substitutio ratione substituti inuoluat heredis institutionem voluntariam (§. 1.); in substituentis arbitrio est, quem, quomodo, ac in quam hereditatis partem substituere velit, dumne in sua dispositione a natura substitutionis aberrat. Quum tamen substituentis in directa substitutione substitutum magis, quam institutum, dilexisse non præsumatur, (Schol. ad §. 2.) certe, si de alia substituentis voluntate non constat, in maiorem hereditatis partem quam institutus, substitutus vocatus non intelligitur. Sed longe absurdus est, eum data sub hypothesis ad minorem adhuc partem vocatum esse statuere. Quare in substitutione directa substitutus in dubio ad eandem hereditatis partem, ad quam institutus, vocatus esse censetur.

Sic sane in arbitrio testatoris est, utrum singulos singulis, aut plures pluribus, aut plures vni, aut pluribus vnum substituere velit. *l. 30. §. 1. de vulg. & pup. subst.* Sique testator plures heredes diuersis tamen ex partibus v. c. vnum ex dodrante, alterum vero ex quadrante scripserit, ei vero, qui ex quadrante heres est, aliquem simpliciter substituerit, certe substitutus frustra semissem bonorum anhelaret. Neque minus pure, an sub conditione substitutum vocare velit, in arbitrio testatoris esse in confesso est.

§. IV.

*Substitutio  
ni conditio  
testamento  
extrinseca  
inest.*

*Substitutio directa inuoluit conditionem testamento extrinsecus adjectam.* Substitutio enim vulgaris substitutum ponit institutum esse, si institutus heres defecerit (§. 2.). Substitutio pupillaris vero substitutum demum heredem esse debere inuit, si pupillus intra pubertatis annos decesserit (§. cit.). Quasi vero pupillaris, si natus in statu, quo intestabilis, exspirauerit (§. cit.) Verum ista: si institutus heres non erit, si intra pubertatis annos pupillus, si liberi in statu, quo intestabiles, decesserint, arguunt euentum vt incertum spectatum, a quo terminus existentiae iuris cuiusdam suspenditur. Qui euentus quum sit conditio, substitutio vulgaris, pupillaris & quasi pupillaris conditionem inuoluunt. Quum tamen conditio ista ex testamento qua tali non adpareat; substitutio vulgaris, pupillaris & quasi pupillaris conditionem inuoluunt testamento extrinsecus adjectam *l. 99 ff. de Cond. & dem.* Quare substitutio directa inuoluit conditionem testamento extrinsecus adjectam (§. 2.).

Peropus quidem in doctrina testamentorum & heredis institutionum est diuisione conditionis in intrinsecam atque extrinsecam, quam ideo miror DD. tantum non omnes insuper habere. Hic tamen eandem vel indice digito indicasse sufficit. Conditio autem quam directa substitutio inuoluit, quamque breui-

brenitatis causa conditionem substitutionis nominare liceat, vel adhuc pender vel iam iam purificata est. Posteriori vero in calu vel exsistit, vel dencit.

## §. V.

*Pendente conditione substitutionis ex substitutione directa nullum ius hereditarium in substitutum redundat, sed exsistentia conditionis expectanda est.* Pendente enim conditione, sub qua quis heres scriptus est, nullum ius hereditarium in scriptum sub conditione heredem redundat, sed expectanda existens conditionis. (per. vulg. iur. pr.) Sed substitutio directa inuoluit heredis institutionem sub conditione factam (§. 4.). Pendente igitur conditione substitutionis nullum ius hereditarium in substitutum redundat, sed expectanda conditionis existens. *Quam diu igitur in substitutione vulgari hereditatem adhuc adire potest institutus, in substitutione pupillari vero pupillus adhuc inter supersites, in quibus si pupillari autem mente captus animam nondum assauerit, tam diu conditionis substitutionis existens adhuc expectare debet substitutus.*

*Quid obtineat, si conditio substitutioni adhuc pender?*

Quum tamen conditio substitutionis ex earum numero non sit, que non nisi morte honorati existunt; substitutus pendente ea, prestata cautione, bonorum possessionem secundum tabulas usque dum conditio purificata fuerit, impetrare integrum est, si institutus ob potius ius res hereditarias non tenet, aut num in suam possessionem redigeret, anceps heret. l. 6. ff. de bon. poss. sec. tab. l. 12. ff. qui suisd. cog.

## §. VI.

*Si conditio substitutionis exsistit, ius hereditarium in Ouid se exdirecte substitutum deuoluitur.* Si conditio suspensiva, sub sstut qua

qua quis heres institutus est existit, ius hereditarium in heredem sub conditione scriptum deuoluitur (per vulg. pr. iur.). Sed substitutio directa inuoluit conditionem substitutionis (§. 4.), quæ suspensiuæ est (§. 2) atque existit (per hyp.). Quare si conditio substitutionis existit in substitutione directa, ius hereditarium in substitutum deuoluitur. *Si igitur in substitutione vulgari heres institutus aut hereditatem repudiavit, aut adire amplius non possit: in substitutione pupillari vero & quasi pupillari institutus in statu, quo intestabilis, morte occubuit; ius hereditarium in substitutum deuoluitur.*

Confer. l. 29. ff. de vulg. & pup. subst. l. 6. C. de inf. & subst. l. vn. §. 13. C. de cad. toll. Ponamus autem testatorem plures substitutionum directarum gradus fecisse, v. c. Titius heres esto, si Titius heres non erit, Sempronius heres esto, si nec Sempronius heres erit, Meuius heres esto, conditionem substitutionis, in quolibet gradu existere debere, cuiuslibet vel me non monente obuium est. Si igitur in Meuium ius hereditarium deuolui debet, non sufficit Titium heredem non esse, verum Sempronius deficere quoque debet. Perinde autem est utrum conditio substitutionis ita existat, ut ne quidem substituto hereditas deferatur, nec ne. Recte enim erroris eos arguit MERILLIUS P. I. L. VIII. c. IX. quibus primus substitutionis casus i. e. casus substitutionis vulgaris non est nisi casus delatæ & non acquisitæ hereditatis. Optimo enim iure substitutus adit hereditatem, licet institutus v. c. ante mortem testatoris expirauerit. l. vn. §. pro secundo. C. de cad. toll. Recte quoque idem ille eos in ordinem cogit, qui casum substitutionis secundum perhibent casum delatæ & acquisitæ hereditatis. Potuit enim pupillus exheres scribi, & nihilominus ei substitui.

§. VII.

Quum igitur directe substitutus heres in potestate dominica tempore mortis non constitutus, qua substitutus semper voluntarius heres sit *l. vn. ff. 13. c. de cad. toll. conditione substitutionis existente hereditatem ex substitutione delatam aditione demum acquirere tenetur substitutus non heres necessarius.*

Vide *l. 9. de suis & leg. hered. & l. un. §. 13. C. de caduc. toll. l. 7. §. 13. de minor.*

§. VIII.

*D. ficiente conditione substitutionis directa substitutio directa evanescit.* Deficiente enim conditione casuali, substitutio qua, quis heres scriptus est, heredis institutio omni suo effectu destituitur (per. vulg. iur. pr.). Sed substitutio directa est heredis institutio sub conditione casuali facta (§. 2. & 4.). Condicio autem hæc deficit (per hyp.). Quare substitutio omnis directa evanescit. *Si igitur in substitutione institutus heres hereditatem adiit, in pupillari vero pupillus pubertatem adeptus, aut, substitutione in citeriorem diem facta, tempus substitutionis elapsum, in quasi pupillari vero institutus respuit; substitutio in fumum abit.* *Quid, si de- ficiat?*

Vide *sis l. 5. l. 9. C. de imp. & al. subst. l. 14. l. 21. ff. de vulg. & pup. subst.* Sed vexatissima inter DD. est questio, si institutus ipse quidem hereditate potiri non potuit, ex eorum tamen numero est, qui hereditatem etiam non aditam in suos nihilominus heredes transmittere possunt, utrum condicio substitutionis exitisse an defecisse dicenda sit, adeoque utrum transmissarii, an substituti potior ratio habenda? Non incogniti iuris est 1) heredem suum antequam bonis sese immiscuerit, nihilominus hereditatem ad suos  
B here-

heredes transmittre posse l. 8. C. de suis & leg. hered. 2) Liberos non suos ipsorum descendentes iuris hereditatem, quam non repudiatam adire tamen impediti, acquirendi participes reddere ex constitutione THEODOSII l. vn. C. de his, qui vulte apert. tab. 3) Heredem scriptum intra deliberandi spatium defunctum ius hereditatem adeundi intra residuum temporis ad quoscunque heredes ipsorum transmittre. l. 19. C. de iure delib. 4) heredem heredis propter iustum impedimentum hereditatem non adeptis ex persona defuncti restitutionem in integrum posse impetrare. l. 20. pr. de acqu. vel omitt. hered. Sed substitui potior, quam quidem heredum institui ratio viderur. Primum enim casum si adcuratori mentis trutina examinemus, suum heredem, si ipsi substituitur, in casum, si heres non erit in heredem voluntarium euadere a vero non abluat. Vulgaris enim substitutio sub conditione, si institutus heres non erit, facta casum & noluntatis & voluntatis sub se comprehendit. (schol. ad §. 2.) Testator igitur disponens: filius meus heres esto, si heres esse nolit, Sempronius heres esto, si voluerit, Sempronius heres esto, si voluerit, heres scriptus, ex necessario iam voluntarius heres est. l. 69. l. 86. de her. inst. l. 16. de liber. & posth. l. 12. de cond. inst. Iam momentum causae in eo versatur, num suus heres adeo suus esse desierit, ut ne ipso quidem iure hereditatem adquisuisse amplius dici posset, seu, ut cum DD. loquar num omne ius iuratis sublatum sit? Maxime, quum in persona sui heredis duas hasce qualitates, suum esse & necessarium esse, probe distinguendas esse a quibusdam inculcatum animaduermus. Verum ne vrgeam, qualitates eiusmodi, si originem respicimus, indiuiso nexu cohaerere, ex legibus citatis modo obueto l. 86. de her. inst. Negat ibidem MAECIANVS suum heredem sub conditione, si voluerit, institutum ab hereditate sese posse iam abstinere. subductis rationibus, quod non necessarius, sed sua fronte heres extiterit. Certe suus hic, qui ponitur, heres aut voluntatem suam, quod heres esse velit, declarauit, aut non. Posteriori in casu

casu si facultas abstinendi negatur, aut ideo negatur, quod necessario heres esse debeat, aut ipso iure heres non fuerit. Prius satis est absurdum. Quare ipso iure non fuit heres, fuitque declaratione voluntatis opus ipsaque aditione l. 2. §. 1. 4. de vulg. & pup. subst. Neminem enim ab hereditate sese abstinere dicimus, nisi qui iura hereditaria (obiective spectata) eo animo non exercet, vt hereditatem in nostro casu ipso iure adquisitam derelinquat. Hereditatem igitur, a qua sese abstinere non potest, aut iam adiit, aut non. Posteriori in casu, quum tamen non sit necessarius heres, repudiare tenetur si eam nolit adire. Sed quis est, qui hæc omnia & ius sustatis adhuc saluum in vno stomacho possit digerere? Id certum est, substitutum vulgariter suo heredi impuberi post mortem patris intra annos pubertatis mortui præferri heredibus impuberis legitimis. Quum enim substitutio vulgaris hoc in casu comprehenderit pupillarem (vide infra), legitimi pupilli heredes a substituto sine dubio excluduntur. Quamuis autem ratio hæc, vt suo heredi substitutum heredibus eius legitimis præferri, si institutus ipse hereditate non potiatur, in genere, adferamus, non sufficiat, tantum tamen scrupulum iniecit HVBERO *Prel. ad ff. t. de vulg. & pup. subst. n. 3.* vt casum, quo heredes propter transmissionem hereditatis etiamsi non aditæ potiores sunt substituto, in heredes non suos hereditatem ad liberos transmittentes seu ad secundum, quem adduximus, casum transcribere nullus dubitavit. Sed aduersum tenere videtur l. vn. §. 13. C. de cad. toll. vbi FLAVIVS noster: *Quum autem inquit, in superiori parte legis non aditam hereditatem minime, nisi quibusdam personis ad heredes defuncti transmitti disposuimus: necesse est, si quis solidam hereditatem non adierit, hanc siquidem habeat substitutum, ad eum, si voluerit, & potuerit, peruenire. Quodsi hoc non sit; vel ab intestato successores eam suscipiant: vel si nulli sunt, vel adipere nolint, vel aliquo modo non capiant: tunc ad nostrum ararium deuoluatur.* Id inde ex natura propositionum exceptiuarum manifestum videtur, quod, si quidem adsint, qui hereditatem etiamsi non aditam ad heredes ipsorum transmittere possunt, neutiquam substituto

locus concedatur. Verum enim vero cederem argumento tam specioso, si exceptio in ipsa dispositionis parte obuia esset, adeoque in consequenti deprehenderetur. Quum autem non nisi in antecedenti occurrat, cuius tamen statim ea non est indoles, ut a negato antecedenti ad negandum consequens inferatur; argumentum istud, licet aliis, nobis tamen satis non facit. Proprio iudicio pendere malumus, quam caeco impetu aliorum saluam fingere. Interim in ipsis disputationibus coram instituendis omnem rem explicatiorem reddere forsitan licebit. Dissidentes alias adhuc adferunt rationes quas vide apud STRVIVM *Ex. 33. th. 15. §. 17.* & VINNIUM *Com. ad pr. l. de vulg. subst. n. 5.* Quamuis autem VINNIUS l. c. ius fuitatis per substitutionem ideo sublatum non esse existimet, quod alioquin nec in pupillari substitutione expressa vnquam inesse possit vulgaris, nec in vulgari pupillaris; subleste tamen fidei, quo vitur, argumentum est, immo l. c. n. 6. tela subministrat in proprium ipsius iugulum defigenda. *Secundum* vero casum quod adinet, si liberi non sui ante debitum naturæ reddiderunt, quam hereditatem delatam (si enim, delata non est, per se clarum) adire potuerint, substituto locum esse fidentius adserimus. Heredem enim defunctum non fuisse, pro comperto est l. 3. *C. de iure deliber.* Sed si heres non factus est, substitutum esse heredem voluit testator. Conditionem substitutionis existere, adeoque substituto cedere debere heredes instituti deficientis in aprico est. Neque obstat *cit. l. vn. §. 13. C. de cad. rol.* Vide enim quæ in eodem hoc scholio de eadem in medium protulimus. Dissentit STRVIVS l. c. th. 17. suamque sententiam communi DD. calculo adprobatam perhibet. Quod per nos licebit. Non enim communem DD. calculum moramur. Id tamen vitio damus STRVIVIO, quod sequentem in modum rationes suas subduserit: *Neque enim exstat casus, in quem prouiso hominis seu voluntas testatoris concepta; quia non potest dici noluisse esse heres seu repudiasse hereditatem qui ius aduendi saluum adhuc transmittit ad heredes.* Quum enim testator vulgariter substituerit, num conditionem substitutionis existere negemus, quod casum noluntatis negauerimus? quum & casum im-



impotentie, qui hic reprehenditur, noster debuerit adtentere. In tertio casu pro substituto contra transmissarium quem vocant, Iustinianeam, easdem, quas in secundo casu, subducere possumus rationes. Certissimum enim est heredem intra deliberandi spatium defunctum heredem non fuisse, adeoque conditionem substitutionis exiisse. Sed iterum dissidet a nobis STRVVIVS l. c. th. 17. n. 3. suamque pariter communiter receptam laudat sententiam. Argumento vitur petiro 1) ex l. vi. §. 13. C. de cad. toll. de quo tamen idem, quod ad primum casum, & hic statuentium 2) ex l. 3. C. de iur. delib. in qua tamen casus tractatur, quo suus heres hereditatem in filium ipsius transmittit, excludentem ideo fratrem defuncti, alienissimus certe ab hac questione. Subiicit 3) rationem: quod heres iste institutus nec dici possit non potuisse esse heres, quippe qui fuit capax: nec dici possit noluisse seu repudiasse hereditatem, qui ius ad eundem ad heredes legitime transmittit. Verum si etiam posterius STRVVIO concederetur, quoad prius tamen non immerito redarguitur. Dum viueret enim, fuit capax acquirende hereditatis: concedo. Sed dum vita functus est, antequam hereditatem adierit, fieri sane amplius non potest, ut ipse adhuc dum adeat atque adquirat. Casum igitur impotentie e. i. i. esse frustra negatur. Eundem cum STRVVIO errorem errat THOMASIVS Not. ad HUBER Præl. t. de vulg. & pupill. subst. n. 5. ubi: nec, inquit, dici potest, quod non adierit, aut repudiauerit, qui ius deliberandi ad heredes transmittit. VINNIUS vero, qui in duobus prioribus casibus aduersus nos fecit in hoc tamen casu a nostris partibus stat. l. c. ad §. ult. n. 2. Quartus denique casus minus adhuc negotii facessit. Quum enim defunctus reuera heres factus non fuerit, conditio substitutionis vtiq. exiit. Si autem heredes instituti beneficio restitutionis in integrum hereditatem substituto perciperent, certe restitutio in integrum testatori heredes obruderet, quos ante substituto maluerit, merito substitissimus. Generatim enim quoad omnes casus adductos heredes instituti deficientis a lege non absolute disponenti, sed sicubi prouiso hominis, hic voluntas testatoris deficit, vocati videntur, vide VINNIUM l. c.

B 3

Quam

Quam tamen, quum substitutio a testatore facta sit, eo minus negare ausim, quo certius est, testatorem magis præsumi amare substitutum, quam quidem incertos subinde heredis instituti heredes. Sed prolixior huiusce multis ambagibus innodata rei tractatio a scopo aliena est.

## §. IX.

*An substitutus admittatur si institutus contra aditionem restitutus?*

Quum igitur restitutio in integrum rem reducat in pristinum statum, adeo ut per consequentiam effectus eius in tertium redundet; si minor institutus heres contra aditionem hereditatis in integrum restitutus, vulgariter substitutus hereditatem ex substitutione adire non prohibetur. (§. 8.)

Nimirum quum, restitutione in integrum a minori contra aditionem impetrata, minor reuera post restitutionem heres non fit; conditio certe substitutionis mente testatoris convenienter utique existit. Quare non immerito actiones substituto a prætore concessas, & utiles quidem VLPPIANVS refert in l. 2. §. 3. de vulg. & pup. subst. l. 7. §. 10. de minor. Forlan ex ea ratione, quod conditio substitutionis post aditionem hereditatis ipso iure validam ante restitutionem profus defecisse atque post restitutionem in integrum existisse videatur beneficio restitutionis quoad tertium in hoc casu proficuo. Sed & hic dissentiant, quod solent, DD. Verum in viam eos reduxit STRUVIUS Ex. 33. th. 17. n. 4.

## §. X.

*Substitutio evanescit, si conditionem substitutionis mortuus, substitutio evanescit, nec ad heredes substituti transit.*

Substitutio directa inuoluit heredis institutionem, cuius conditio testamento extrinsecus adiecta (§. 4.) & casualis est (§. 2.). Sed evanescit heredis institutio, si

si scriptus heres ante existentem conditionem casualem, testamento extrinsecus adiectam, defunctus est *l. vn. ff. 7. C. de cad. toll. l. 4. pr. ff. quand. dies leg.* ideoque hereditas heredi non delata in eius heredes non transmittitur. Si igitur substitutus ante existentem conditionem substitutionis defunctus est, substitutio euanescit. Quare si antequam in substitutione vulgari institutus inhabilis redditus, aut repudiauere, in substitutione pupillari pupillus intra pubertatis annos, atque in quasi pupillari mente captus ceu intestabilis decesserint, substitutus iam exspirauit, substitutio vulgaris, pupillaris & quasi pupillaris euanescent.

Curatius propositionem dererminatam existimo, ac vulgo fieri solet, dum substitutum ante institutum mortuum nihil ad suos heredes transmittere adserunt.

### §. XI.

*Substitutione pupillari expressa filio familias impuberi heredi instituto facta, si de alia substituentis voluntate non constat, substitutio vulgaris quantumuis non expressa, tamen subintelligitur, & contra.* Si enim substitutio pupillaris facta pupillo non exheredato, substitutus non modo vocatus ad hereditatem, quam pupillus substituenti adceptam tulit, verum etiam ad reliqua pupilli bona (§. 2.). Sin vulgaris substitutio facta, vi eius substitutus non nisi ad hereditatem substituentis vocatur (§. cit.). Quum igitur priori in casu duas hereditates substituto destinauerit, vnam quoque suam ipsius scilicet hereditatem ipsi, si pupillus heres non fuerit, delatam velle non potest non praesumi. Quum igitur eiusmodi heredis institutio vulgaris fit (§. cit.), praesumptio autem hic cedat veritati; sub substitutione pupillari pupillo heredi instituto facta, si de alia substituentis voluntate non constat, substitutio vulgaris subintelligitur.

Alterum

Alterum theorematism membrum inde adparet, quod substituens hereditatem suam a pupillo adquisitam heredibus pupillo intra annos pubertatis mortuo ab intestato successuris relinquere voluisse non presumatur, quum alioquin eos sine dubio substituisset.

Vide sis l. 4. pr. §. 2. ff. de vulg. & pupill. subst. l. 4. C. de impub. & al. subst. Quoad primam propositionem & ratione & legibus reclamantibus contra sentiunt FABER Dec. 32. Er. 9. & 10. POLIT. de subst. pupill. quest. 8. n. 39. Quum presumptio hec simul ac de contraria voluntate constat, in auras abeat; parum certe refert, vtrum contraria voluntas in ipso testamento v. c. alium expressa substitutione exitum non habente, substituendo, an extra testamentum forsitan coram testibus, non sepe abscisse, qui error quorundam est, sed duobus quoque sufficientibus declarata fuerit. Ex facili autem questionem satis fit, an admittatur posthumus substitutus, si postea nullus posthumus natus, ventilata inter ICtos longe olim celeberrimos L. CRASSVM, pro substituto contra heredes legitimos statuentem, & Q. MVTIVM SCAEVOLAM, pro heredibus legitimis contra substitutum disputantem. Sed litem quoque dederunt secundum CRASSVM Imperatores MARCVS & SEVERVS.

## §. XII.

*Substitutus substituto censetur quoque substitutus instituto.* Si qua substitutio ulteriori gradu facta, vulgariter substitutus substituto, substitutus quoque censetur instituto. Si enim substitutio facta, instituti hereditatis adquisitio determinat acquisitionem hereditatis substituti (§. 1.). Cui si denuo vulgariter substitutus quis est, primi substituti adquisitio iterum determinat acquisitionem substituti secundi (§. 1. & 2.). Verum enim vero determinans determinantis quoque

quoque determinatum (per pr. phil. prim.). Quare instituti primi adquisitio substituti secundi acquisitionem determinat. Cuius quidem generis institutio quum sit substitutio (§. 1.); in substitutione in vltiori gradu facta vulgariter substitutus substituto substitutus quoque censetur instituto.

Celebratissima in iure est regula: *substitutus substituto intelligitur quoque substitutus instituto*, quam sine distinctione, in primis, vtrum substitutus prior ante institutum, an post decesserit, valere rescripserunt SEVERVS & ANTONINVS §. 6. *J. de subst. vulg.* vide l. 27. l. 41. *pr. ff. de vulg. & pupill. subst.* Vtrum autem recte eandem ad vulgarem substitutionem restrinxerimus, videndum est. Si ex conceptu substitutionis, quem euolutum dedimus, res iudicanda est, sane nil quicquam ad pupillarem substitutionem pertinet. Ponas testatorem disposuisse: *Filii mei impuberes Titius & Mæuius heredes sunt. Si Titius heres non erit, Mæuius heres esto. Si Mæuius intra annos pubertatis decesserit, Sempronius heres esto, aut: Filii mei Titius & Mæuius heredes sunt. Si Titius intra annos pubertatis decesserit, Mæuius heres esto. Sique Mæuius intra annos pubertatis decesserit, Sempronius heres esto.* Certe Sempronius in neutro casu qua pupillariter Titio substitutus admitti potest. Sempronius nimirum ex substitutione hac qua pupillari Mæuius, si heres fuit, aut intra pubertatis annos mortuus, succedendi iure gaudet, atque vtrum Titius portionem suam iam adquisuerit, nec ne, intra annos pubertatis decesserit, nec ne, prorsus nihil moratur. Quatenus itaque pupillariter substitutus est Mæuius, substitutus non censetur Titio (§. 1.). Atque sic in nostras partes accipimus, SCAEVOLAM l. 47. *ff. de vulg. & pup. subst.* vbi: *Qui habebat filium & filiam impuberes, instituto filio herede, filiam exheredauit & si filius intra pubertatem decessisset, filiam eidem substituit, sed filie, si antequam nuberet, decessisset, uxorem suam, item sororem suam substituit: quero quum filia impubes prior decesserit, deinde frater eius impubes, an filii hereditas ad uxorem & sororem testatoris iure substitutionis pertineat? respondi secundum ea, que proponerentur non pertinere.* In

explicanda hac SCAEVOLAE sententia mire inter se dissentiunt  
 DD. Sunt qui cum ACCURSIO ideo hereditatem filii ad sub-  
 stitutum non pertinere existimant, quoniam in casu proposito  
 secunda substitutio iam extincta est pubertate filiae, neque itaque  
 legendum esse, *quum filia impubes*, sed: *quum filia PVES prior*  
*decesserit &c.* Sed sanctiores nobis sunt leges, quam ut ad ead-  
 em secundas ac vrendas tam faciles nos praeberemus, atque in  
 necem earum cum ACCURSIO conspiraremus, maxime, quum  
 parum alioquin in recessu haberet responsio, qua sibi placet ICIUS.  
 Ipse VINIVS in *Com. ad §. 3. 7. d. t. vtrum compositorum*  
*secordiae adscriberet*, quod responsum SCAEVOLAE in pandectas  
 retulerint, quum rescripto Imperatorum SEVERI & ANTONI-  
 NI distinctio illa, qua SCAEVOLA vitur, sublata esset, an cum  
 VIGLIO imperatorum rescriptum ad duas partes vnus heredita-  
 tis restringat, SCAEVOLAMQUE de duabus hereditatibus acci-  
 piat, in quibus verus distinctio adhuc obtineret, vtrum prior  
 substitutus ante, an post institutum decesserit. Sed parum, pu-  
 to, distinctionem istam in responsum ICTI influere. Ponas  
 enim filiam post filium decessisse intra tamen pubertatis annos,  
 aut filiam hereditatem filii adiit, aut non. Priori casu substitutus  
 hereditatem filii accipit, non quatenus filii est, atque quoniam &  
 ei substitutus habendus est, sed quatenus ad hereditatem filiae  
 iam pertinet. Posteriori casu substitutum filiae filii hereditatem  
 posse adire ex substitutione sua, absque probatione non ausim as-  
 serere. Sed acu rem tetigisse sibi viderur. SCHAMBERGIVS  
 in *const. omiss. manip. 2. obs. 10. vbi: sed me quidem iudice*, inquit,  
*tale quid ex dicta lege vix desumi potest, ut decisio SEVERI in*  
*pupillari substitutione locum nunquam habeat, specialis est casus,*  
*quem SCAEVOLA proponit, specialis quoque decisio, quam addit,*  
*quod verba: secundum ea, quae proponerentur, satis euincunt, nec*  
*credo ultra casum decisionem esse extendendam. Id nimirum spe-*  
*cialis est, quod filia filio substituta non fuerit eius coheres, sed po-*  
*rius exheredata. Quum vero filia illa solum substituta diem obiret*  
*supremum ante heredem institutum, ipsa hereditas nulla ratione ad-*  
*eam erat transmissa, neque iura institutionis, quia heres non erat,*  
*neque*

neque iura substitutionis quia ante institutum moriebatur, & ideo filia eandem hereditatem ad reliquos substitutos transmittere non poterat. Quumque hi substituti ius acquirendi hereditatem, non nisi ex iure filiae, cui substituti erant haberent, ius vero filiae cum ipsa eius morte statim extingueretur & ipsa earum substitutio non poterat non simul esse extincta ea ratione, ut nec filii, cui filia substituta erat, cepere hereditatem. Quis vero non videt aliam obtinere debuisse sententiam, si filia post filium decessisset. Et quis negabit eos, qui filiae substituti erant, sine dubio adquisivisse & filii & filiae hereditatem, si filia facta fuisset coheres, & deinde filio simul esset substituta, licet etiam ante filium diem obiisset supremam, quum eadem hic & in vulgari substitutione sit ratio, quod testator magis dilexisset heredes substitutos, quam heredes ab intestato. Verum an restringendo penitus ad casum exheredatae filiae causam NOSTER extricauerit, dubio. Sit enim coheres instituta & filio substituta pupillariter. Sane in casu proposito, quum antequam conditio substitutionis pupillaris existisset, mortua fuerit, ex iure substitutionis hereditate filii non potitur (§. 10.) neque iure institutionis, in sua enim hereditatis porzione saltem est instituta. Nec est, quod ius aliquod adcrefcendi improprie tale, cuius mentio iniicitur in l. 59. ff. de acqu. vel omitt. her. obuertatur. Non enim tum filiae substitutus iure substitutionis ad filii hereditatem perveniret. Quum igitur substitutum iure filiae niti SCHAYMEVRGIVS sibi persualum habeat. Qui fieri potest, ut eius ex principis hereditas filii iure substitutionis ad substitutum filiae transmittatur. Sit insuper, quod filia post filium decesserit, aut adit hereditatem, aut non. Posteriori in casu filia heres non est ex institutione, (vide modo dicta), neque ex substitutione, quum ante aditam hereditatem expiraverit. Sed iure tamen filiae substitutum idem ille niti vult. Priori vero casu sanum illi deficeret incipitur, si ideo hereditatem filii substitutum accepisse somniaret, quoniam ipsi filio pupillariter quoque substitutus haberi debeat. Sed suo hac in re quemlibet sensu abundare ex facili patimur.

C 2

§. XIII

## §. XIII.

*Substitutio  
est vel ex-  
pressa vel  
tacita.*

Quum, si de contraria voluntate substituētis non constat, sub substitutione pupillari substitutio etiam non expressa tamen subintelligatur & contra (§. II); substitutio recte dispescitur in expressam atque tacitam. Est enim vel ita comparata, ut quamvis nominatim indicata non sit, sub alia tamen, quæ indicata est, subintelligatur, vel non. Priori casu *tacita*, posteriori vero *expressa* dicitur. Si igitur de alia mente testatoris non constat, atque pupillaris substitutio solum expressa; substitutio vulgaris tacita est; sin substitutio vulgaris expressa solum est; pupillaris substitutio tacita est.

## §. XIV.

*Quid com-  
pendiosa?*

Cum substitutione tacita nequitiam confundenda est compendiosa substitutio. Substitutio nimirum vel ita comparata, ut non tam per substitutionem in genere, sed per alia eiusmodi verba expressa sit, quæ plures substitutionum species sub se comprehendunt, vel non. Priori casu substitutio *compendiosa* seu *barbare breuiloqua* audit. Quum itaque substitutio tacita saltem sub alia substitutione, quæ expressa est, subintelligatur (§. 13.), ipsaque adeo expressa non sit, discrimen substitutionem compendiosam inter & tacitam nisi talpa cecior nemo non videt.

Vide sis *l. 8. C. de impub. & aliis subst.* Sic compendiosa substitutiones exemplum est, si testator disposuit: filius meus heres esto, si filius meus quacunque ratione decesserit, Sempronius heres esto. *ODDVS de compend. subst. p. 4. qu. t.* Quibusdam tamen DD. compendiosam iam esse substitutionem, quæ absque verborum firmate fit, seu cum compendio verborum, inficias nos quidem non iuerimus.

## §. XV.



## §. XV.

Quum in arbitrio substituentis sit, quem inter substitutos collocare velit (§. 3.); nihil quoque impedit, quo minus ipsos institutos institutis substituat. Si nimirum substitutionem ponimus, substitutus adsit, necesse est (§. 1.). Sed substitutus hic vel est coheres instituti, vel non. Priori in casu substitutio in latiori sensu *substitutio reciproca* seu *mutua* dicitur. Sed vel non vnus modo coheredum institutorum alteri, sed alter quoque huic substitutus est, seu coheredes sibi inuicem substituti sunt, vel non. Illo in casu substitutio *stricte* dicitur *mutua*. Mutua in hoc strictiori sensu vel vtriusque substitutionem ponit eandem, vel diuersam. Priorem substitutionem *mutuam uniformem*, posteriorem vero *difformem* nominare liceat.

Vide l. 4. l. 5. l. 9. l. 23. l. 24. l. 45. ff. de vulg. & pup. subst. l. 24. l. 37. §. 1. ff. de her. inst. l. 23. ff. ad Sct. Trebell. l. 6. C. eod. §. 12. l. de vulg. subst. l. 1. C. de imp. & al. subst. Sic formula substitutionis reciprocae est: *Titius & Sempronius heredes sunt, si Titius heres non erit, Sempronius heres esto.* Mutuae vero in specie talis & vniformis quidem: *Titius & Sempronius heredes sunt, si Titius heres non erit, Sempronius heres esto, & si Sempronius heres non erit, Titius heres esto, seu Titius & Sempronius heredes sunt, eisdemque sibi inuicem substituo.* Difformis autem mutuae substitutionis exemplum est: *Titius & filius meus Sempronius heredes sunt, si Titius heres non erit, Sempronius heres esto.* Sin Sempronius heres quidem, sed intra annos pubertatis decesserit, *Titius heres est.* Quamuis autem difformis mutua substitutio legibus satis fundata sit, id tamen non diffitemur, vniformem substitutionem in dubio praesumi. Confer. l. 4. §. 2. l. 45. de vulg. & pupill. subst. Sed negant DD. tantum, quod sciam, non omnes, substitutionem reciprocam peculiarem substitutionis esse speciem, potius non nisi adiectionem quandam substitutionis esse atque ab ipsa substitutione verborum saltim figura differte moueat, vid.

TRENTACINQ. de subst. p. 1. c. 3 RIPA ad l. 45. ff. de vulg. & pup. subst. HYBER Præl. ad ff. t. de vulg. subst. n. 1. seu ut alii apud INTRIGIOL. de subst. Cent. l. qu. 58. mentem suam explanant, substitutionem reciprocam non esse speciem substitutionis quoad effectum, sed quoad formam. Ad vivum refecaret alius eiusmodi DD. visiones, eosdemque logica & acriori censura in ordinem coheret. Sed nos id non agimus, quum persuasum nobis habeamus, DD. non innuere, nisi substitutionem esse speciem substitutionis vulgari & pupillari factim non oppositam. Sicque accipiendus est MODESTINVS in l. 4. §. 1. de vulg. & pup. subst. substitutionem reciprocam tertium substitutionis genus vocans. Is tamen error quorundam notandus est, vi cuius substitutionem reciprocam atque compendiosam seu breuiloquam synonyma credunt, quum non tantum maxime differant, verum etiam non maior sit ratio substitutionem reciprocam vocandi compendiosam, quam quancunque aliam, que reciproca non est. Quum autem in substitutione reciproca institutus heres & substitutus coheredes sint, necesse sit; substitutionem: *Titius mihi heres esto, Sempronius filio meo, si intra pubertatis annos mortuus fuerit, heres esto, si Sempronius heres non erit, Titius impuberi heres esto*, conditione pupillaris substitutionis existente, nullam esse substitutionem reciprocam, citra pulueris iactum intelligitur.

### §. XVI.

*Substitutio reciproca vel directa vel indirecta, directa vel vulgaris vel pupillaris vel quasi pupillaris.*

Substitutio reciproca est substitutio, in qua coheredes instituti substituti sunt (§. 15.) sed substitutio vel directa est, vel fideicommissaria (§. 2.) atque vtraque cadere potest in substitutionem reciprocam (§. 15.). Quare substitutio reciproca vel reciproca directa, vel fideicommissaria est. Quumque substitutio directa iterum in substitutionem vulgarem, pupillarem ac quasi pupillarem abeat (§. 15.); substitutio reciproca directa recte in reciprocam vulgarem, reciprocam pupillarem ac quasi pupillarem dispescitur.

Vide

Vide *l. 23. ff. ad SCr. Trebell. l. 6. C. cod. l. 4. §. 1. ff. de vulg & pupill. subst.* Sed si testator plures instituit heredes iisque, quominus hereditatem alienent, prohibuit, an fideicommissaria substitutio sic? quarunt DD. Adfirmando simpliciter alii, propter *l. 87. §. 2. de leg. 2.* alii autem distinguendo, respondent, vtrum filii facta prohibitio, an vero extraneis. Hocque in casu negant, quod in priori adfirmant. Vide *TRVIN. de subst. C. VI. §. 3.* Sed quum sola prohibitione alienationis non inducatur fideicommissum, si non fuerit expressus, in cuius fauorem relictum, *l. 114. de leg. 1. l. 38. §. 3. de leg. 3.* expressa autem sit persona in casu, quem tractat *cit. l. 87.* secundum neutrum lis danda est. Substitutio interim reciproca fideicommissaria parum hic nobis cura est cordique, eiusque diuersissimos a iure aderescendi effectus nemo non videt.

### §. XVII.

*In substitutione reciproca in arbitrio substituentis est, In arbitrio vtrum omnes coheredes sibi inuicem substituere velit, an aliquos: substituentis vtrum in substitutione ad easdem partes eos vocare velit, ad quas est, vtrum in institutione vocauit, nec ne: in dubio tamen in substitutione re-omnes au ciproca vulgari, eadem partes in substitutione censentur repetite, aliquos co- que in institutione fuerunt. Si qua enim substitutio obuersatur, heredes sub- in arbitrio substituentis est, quot substitutos sibi velit scribere stituere ve- heredes (§. 3.). Sed substitutio reciproca species est substituti- lit, & ad tionis (§. 15.) atque reciproce substituti sunt coheredes instituti quasmam partes voca- (§. cit.). Quare in arbitrio reciproce substituentis est, vtrum re. Quidin- omnes coheredes sibi inuicem velit substituere, an aliquos. dubio obti- In omni substitutione, si plures instituti, in arbitrio substituen- neat. tis est, quantam hereditatis partem substitutis adscribere velit (§. 3.). Sed substitutio reciproca est species substitutionis (§. 15.), atque plures semper sunt instituti (§. cit.). Quam ob rem merito in arbitrio reciproce substituentis est, vtrum coheredes in- sub-*

substitutione ad easdem partes vocare velit, ad quas eosdem in institutione vocauerit, nec ne. Quum autem præsumtio sit, testatorem substitutum in vulgari substitutione magis non dilexisse, quam quidem institutum (Schol. ad §. 2.); in dubio in substitutione vulgari reciproca eadem in substitutione partes censentur repetitæ, quæ in institutione fuerunt.

Confer. §. 2. I. de vulg. subst. l. 24. ff. de vulg. & pup. subst. l. 1. C. de imp. & al. subst. Sed vltimam propositionem quod adinet, ab ea excipiunt DE, non tantum, 1) si aliam voluntatem testator euidenter expresse- rit que tamen exceptio propter additam determinationem in dubio: non procedit verum etiam 2) si in substitutione nomina substitutorum expressa, propter l. 24. ff. ad Sct. Treb. & l. 124. de leg. 1. 3) si æquale onus substitutis impostum l. 23. ff. ad Sct. Trebell. Quamuis si dicendum, quod res est, citare ll. de substitutione fideicommissaria tantum loquantur. Certe VLPPIANVS l. 24. de vulg. & pupill. dum aliud obtinere adferuerit, si alia mens testatoris adpareat, addit: *quod vix credendum est, nisi euidenter fuerit expressum*, eademque verba in vsus suos conuertisse FRANCISC. CVRTIVM, notat VINNIVS l. c. ad §. 2. n. 2.

### §. XVIII.

Quandonam ex substitutione reciproca hereditas adiri possit, & quando euanescat?

Si in substitutione reciproca vulgari coheres aut portionem suam hereditariam repudiavit, aut adire amplius non potest: in substitutione reciproca vero pupillari & quasi pupillari in statu quo intestabilis, expirauit, ius hereditarium in coheredem substitutum deuoluitur. Sin in substitutione reciproca vulgari institutus coheres hereditatem quoad portionem suam adiit: in substitutione vero reciproca pupillari in suam tutelam venerit, diemue, ad quem substitutio facta, superuixit: in substitutione reciproca quasi pupillari institutus coheres respuit; substitutio reciproca vulgaris, pupillaris & quasi pupillaris euanescent. Manifesta sunt omnia, si ad §. §. 5. 6. leuiter saltem adrendens eadem exegeris.

Vide sis, quæ ad §. §. cit. in schol. notauimus.

### §. XIX.

## §. XIX.

Si in substitutione reciproca vulgaris antequam coheres institutus hereditatem quoad portionem suam repudiavit, aliaue ratione inhabilis redditus acquirenda hereditaris: in substitutione reciproca pupillari antequam pupillus in aetate pupillari decesserit; in substitutione vero reciproca quasi pupillari, mente captus in statu hoc diem suum obiit, coheres substitutus iam extinctus est; substitutio reciproca vulgaris, pupillaris & quasi pupillaris in auras abeunt. Quæ enim adferuntur, obtinent in quavis substitutione vulgaris, pupillari & quasi pupillari (§. 10.). Quare, quum substitutio reciproca vulgaris, pupillaris ac quasi pupillaris harum substitutionum species sint (§. 16.); Extra omnem dubitationis aleam adferata versantur.

Substitutio reciproca directa euanescit, si coheres substitutus ante conditionem existentem mortuus.

Recte igitur MARCIANVS l. 9. ff. de suis & leg. hered. Alia causa est, inquit, instituti heredis & coheredi substituti, huic enim viuo defertur ex substitutione hereditas; non etiam si decesserit, heredem eius sequitur. Quod enim ait viuo saltem hereditatem ex substitutione deferri, idem inuoluit, quod nos explicatius adseruimus. Hereditas quippe sub conditione relicta non defertur, nisi conditio viuo adhuc herede, cui adscripta est, existerit. Atque congrue PAVLVS respondet in l. 45. §. 1. ff. de vulg. & pupill. Si omnes instituti heredes omnibus inuicem substituti essent, eius portionem, qui quibusdam defunctis postea portionem suam repudiavit ad eum solum, qui eo tempore superuixit ex substitutione pertinere.

## §. XX.

Conditione substitutionis reciprocae existente, substitutus coheres non necessarius ex substitutione hereditatem adire potest, quantumuis ex eorum numero sit institutus, qui hereditatem etiam si non aditam tamen transmittere possunt, neque potest nisi aditione eandem adquirere. Conditione enim substitutionis reciprocae

Conditione substitutionis existente ex substitutione reciprocae

D

ex.

*proca ad-  
unda est he-  
re. litar.*

existente, hereditas ex substitutione coheredi substituto defer-  
tur (§. 18.), quantumvis coheres institutus ex eorum numero sit,  
qui hereditatem etiam non aditam ad suos nihilominus heredes  
transmittere alioquin possunt (Schol. ad §. 8.). Sed si hereditas  
heredi non necessario delata, ius ei competit adeundi heredita-  
tem, eaque aditione saltem acquiritur (§. 7.). Quare conditio-  
ne substitutionis reciprocae existente substitutus coheres non  
necessarius ex substitutione hereditatem adire potest, quantum-  
vis transmissariorum e numero sit, atque nonnisi aditione ad-  
quisitam sibi potest reddere.

Substitutum autem hic intelligi semper non heredem necessa-  
rium semel monuisse sufficiat.

### §. XXI.

*Varii euol-  
vantur ca-  
sus.*

Si substitutio reciproca directa adest, vel vnicus est  
coheres institutus, in quo conditio substitutionis existere possit,  
vel plures sunt. Posteriori casu, vel iis in vnica propositione  
comprehensis substitutio facta, vel non. Si illud, vel copula-  
tiue in conditione substitutionis positi, vel disiunctiue. Si co-  
pulative, vel singulis institutis singuli alii coheredes substituantur,  
vel non.

### §. XXII.

*Virum suffi-  
ciat, si vni-  
cus est cohe-  
res institu-  
tus, in hoc  
existere con-  
ditionem  
substitutio-  
nis.*

Si in substitutione reciproca vnicus est coheres institutus,  
in quo conditio substitutionis existere possit; conditionem substitu-  
tionis reciprocae in vnico hoc coherede existere sufficit, ut ex sub-  
stitutione adire hereditatem substitutus possit. Si enim vnicus in  
substitutione reciproca saltem est coheres, in quo conditio sub-  
stitutionis reciprocae existere possit, conditio substitutionis, si  
existit, ex omni parte, qua adscripta est, existit. Sed si in  
sub-

substitutione ita ex omni parte existit, uti adscripta est, ex substitutione adire hereditatem potest substitutus, nisi aliunde impediatur, quod tamen hic non moramur. Quare si in substitutione reciproca vnicus est coheres institutus, in quo conditio substitutionis existere possit, conditionem substitutionis in vnico coherede existere sufficit ad adeundam ex substitutione hereditatem.

v. c. Titius & Sempronius heredes sunt, eosque sibi inuicem substituto, aut, si Titius heres non erit, Sempronius heres esto. In Titio sane, ut Sempronius ex substitutione adire possit, conditionem substitutionis existere satis est.

§. XXIII.

Si in substitutione reciproca directa pluribus coheredibus institutis in vnica propositione disiunctiue comprehensis substitutio facta; conditione substitutionis in alterutro existente ex substitutione adire potest hereditatem substitutus. Si in substitutione reciproca directa pluribus coheredibus institutis in vnica propositione disiunctiue comprehensis substitutio facta, conditio substitutionis in plures condiciones disiunctiue adiectas abit (§. 4.). Verum si plures condiciones disiunctiue heredibus adscriptæ sunt, alterutram existere sufficit l. j. ff. de cond. inst. Sed existente conditione substitutionis reciprocae ex substitutione, quæ adest, substitutus hereditatem adire potest (§. 20.). Si ergo in substitutione reciproca directa pluribus coheredibus institutis in vnica propositione disiunctiue comprehensis substitutio facta; conditio substitutionis in alterutro instituto existisse ad adeundam ex substitutione hereditatem sufficit.

v. c. Titius, Sempronius, Caius heredes sunt, si Titius aut Sempronius heres non erit, Caius heres esto. Iam ut Caius ex substitutione hereditatem adire possit, non opus, ut & Titius & Sempronius

nus deficiant, sed alteruter saltem defecerit necesse est. Idemque est, quod DD. aiunt, substitutionem iam resoluti in singularitates. Sed sunt, qui liberos testatoris institutos excipiant atque tum alternatiuam conditionem in coniunctiuam resoluti velent. Vide INTRIGLIOL. *de substit. Cent. 1. qu. 25. n. 32.* Sed placita hæc DD. ut mihi placerent, a me impetrare non potui.

## §. XXIV.

*Quid si pluribus coheredibus copulatiue in conditione substitutionis positus substituatam?*

*Si in substitutione reciproca directa pluribus heredibus institutis copulatiue in conditione substitutionis positus substitutio facta; ex substitutione reciproca hereditatis aditio non procedit, nisi conditio substitutionis in utroque exstiterit.* Si enim in substitutione reciproca pluribus heredibus copulatiue in conditione substitutionis positus substitutio facta, conditio substitutionis in plures resoluti potest copulatiue adiectas condiciones (§. 4). Verum si plures condiciones heredis institutioni adiectæ sunt copulatiue, omnibus demum existentibus hereditas defertur *l. 5. ff. de cond. instit.* Quare si in substitutione reciproca directa pluribus heredibus institutis, copulatiue in conditione substitutionis positus, substitutio facta est, ex substitutione reciproca hereditatis aditio non procedit, nisi conditio substitutionis in utroque exstiterit (§. 20.).

*v. c. Titius, Sempronius, Caius, heredes sunt, si Titius & Sempronius heredes non erunt, Caius heres esto.* Caius nisi & Titius & Sempronius defuerint, hereditatem ex substitutione adire nequit. Vide *l. 30. & l. 42. ff. de vulg. & pup. subst.* Quæ quum ita sint, substitutionem in singularitates resoluti negant DD.

## §. XXV.

*Quid si singulis coheredibus*

*Si eadem sub hypothese singulis institutis coheredibus sigillatim reliqui heredes vulgariter substituti; substitutus coheres ad eundem*



eandem in dubio portionem vocatus censetur, ad quam is institutus coheres vocatus, cui substitutus est. Si sub eadem s. præc. ratis singuli hypothese singulis coheredibus reliqui coheredes sigillatim substituti reliqui substituti. Prior propositio sic fati adparet ex eo, quod substitutus ad idem vocatus censendus in vulgari substitutione, ad quod ipse institutus vocatus, vsque dum de alia testatoris mente non constat (§. 17.). Posterior vero ideo in aprico est, quod incertum vel maxime, cui institutorum hic substitutorum coheredum magis, quam alter substitutus haberi debeat.

v. c. Titius, Sempronius, Caius, Meuius heredes sinto. Si Titius & Sempronius heredes non erunt, Caium Titio, Meuium autem Sempronio substituo. Casu certe substitutionis existente Caius ex substitutione Titii portionem, Meuius vero Sempronii accipit. Si autem substitutio sequentem in modum facta: Si Titius & Sempronius heredes non erunt, Caium & Meuium iisdem substituo. Caius & Meuius ad aequales portiones censentur vocati.

### §. XXVI.

Substitutio reciproca vulgaris expressa impuberi filio facta, quatenus nulla inde efficitur difformis substitutio, nec alias alia de voluntate substituentis constat, comprehendit pupillarem substitutionem etiam non expressam: & reciproca vulgaris expressa, si de alia testatoris voluntate non constat, vulgarem comprehendit. Substitutio directa vulgaris expressa pupillo heredi instituto facta, quum de contraria voluntate substituentis non constat, pupillarem quantumvis non expressam comprehendit (§. 11.). Sed substitutio reciproca vulgaris est substitutio vulgaris (§. 16.), filiosam impuberi facta (per hyp.), impubesque heres institutus est (§. 15). Verum ponamus, si pupillaris subintelligeretur, reciprocam substitutionem in difformem

euadere. Certe is duplici ratione, scilicet & vulgari & pupillari, foret substitutus, quem testator minus tamen amare censetur, quam eum, qui simplici ratione scilicet vulgari solum substitutus. Cuius quum contrarium praesumant leges, vid. l. 4. ff. 2. ff. de vulg. & pup. subst. praesumptive de alia testatoris voluntate constat. Quare substitutio reciproca vulgaris expressa filiosam impuberi facta, quatenus nulla inde efficitur disformis substitutio, nec alias, de alia voluntate substituentis constat, pupillarem substitutionem comprehendit. Substitutionem autem reciprocam pupillarem vulgarem quoque, si non constat de alia voluntate, comprehendere, prono alio ex §. II. sequitur.

In cit. l. 4. §. 2. ff. de vulg. & pup. *MODESTINVS: incongruens, inquit, videbatur, ut in altero duplex esset substitutio, in altero sola vulgaris.* Cum *MODESTINO* conuenit *PAVLVS* l. 45. pr. ff. eod. atque *ALEXANDER* in l. 4. C. de impub. & al. subst. ubi: *quum proponas in substitutionem factam esse, Si mihi Firmianus filius & Aelia uxor mea (quod abominor), heredes non erunt, in locum eorum Publius Firmianus heres esto: manifestum est in eum casum factam substitutionem, quo utriusque heredum substitui potest.* In disformem autem euadere reciprocam hanc substitutionem, si vni coheredum pupillariter, alteri vero non nisi vulgariter substitui possit, vel me non monente intelligitur.

### §. XXVII.

In substitutione reciproca substitutus substituto, substitutus quoque censetur instituto (§. 12). Sed substitutio reciproca est substitutio (§. 5), atque substitutus substituto vulgariter ei substitutus est (per hyp.). Quare in substitutione reciproca ulterioris gradus reciproce vulgariter

*Si substitutio reciproca in ulteriori gradu facta, reciproce vulgariter substitutus substituto, substitutus quoque censetur instituto (§. 12). Sed substitutio reciproca est substitutio (§. 5), atque substitutus substituto vulgariter ei substitutus est (per hyp.). Quare in substitutione reciproca ulterioris gradus reciproce vulgariter*

gariter substitutus substituto, substitutus quoque censetur instituto.

v. c. Titius, Sempronius, Caius heredes mihi sunt. Si Titius heres non erit, Sempronius heres esto, sique Sempronius heres non erit, Caius ei substituto. Caius utique Titio substitutus atque hoc quidem casu reciproce quoque Titio substitutus habendus est. Quod in omni casu tamen non obtinet. Ponas enim disposuisse testatorem: Titius heres esto, si Titius heres non erit, Sempronius & Caius heredes sunt, si Caius heres non erit, Semproniam ei substituto. Sempronius quidem reciproce vulgariter substitutus est Caio, sed Titio substitutus quidem censetur, sed non reciproce.

### §. XXVIII.

Si in substitutione reciproca directa portio coheredis legatis gravata, substitutus coheres ex substitutione adiens, quartam Falcidiae iure non detrahit, nisi, computatis bonis tam ex institutione, quam ex substitutione a substituente adeptis, quarta salua non sit: si discesseris a substitutione reciproca pupillari, in qua solius pupilli legatis exhausta portio. In substitutione enim reciproca vulgari, si coheres deficit, cuius portio nimium onerata, substitutus iam perinde censetur, ac si heres absque coherede scriptus esset (§. 2.). In substitutione reciproca pupillari coheres substitutus, si pupillus intra pubertatis annos decessit, perinde aestimatur, ac si sub hac conditione in bonis substituents ex asse heres scriptus fuerit (§. cit.). Quod nec alienum videtur a substitutionis quasi pupillaris causa (§. cit.). Sed cessat iam ratio legis Falcidiae posita in singulis l. 77. ff. ad L. Falcid. Quare in substitutione reciproca vulgari, pupillari & quasi pupillari, adeoque in directa reciproca substitutione, si ultra quartae Falcidiae rationem legatum est, coheres substitutus, ex substitutione adiens, vnam saltem totius hereditatis Falcidiam detrahendi

Quid intuetu  
quarte  
Falcidiae iuris?

hendi iure gaudet. Verum enim vero si substitutionem pupillarem reciprocam, ac solius pupilli exhaustam legatis portionem ponimus, substitutus ex substitutione pupillari adiens non suo nomine, sed defuncti pupilli obligatus ad ea saltem legata tenetur, quae ab ipso pupillo exigere poterant *l. 87. §. 4. ff. eod.* In aprico igitur ratio est, quare propositioni restrictionem adiecerimus.

Eadem fere ratione rationes subducit *PAVLVS* in *l. 1. §. 13. ff. ad l. Falcid. id.* inquit, quod ex substitutione coheredis ad coheredem peruenit, proficit legatariis. Is enim similis est heres ex parte pure, ex parte sub conditione heredi instituto. Atque *IULIANVS* *l. 87. §. 5. cod.*: si extranei, ait, heredis semis totus legatus fuerit, isque pupillo a quo nihil legatum erat, ex substitutione heres extiterit, poterit dici augeri legata & perinde agendum, ac si cuiuslibet coheredi substitutus fuisset, eoque omittente hereditatem ex asse heres existisset: quia semper substitutus rationem legis Falcidiae ex quantitate bonorum, quae pater reliquerit, ponit. Vide *l. 87. §. 4. cod.* Si igitur in substitutione reciproca pupillari & substitutus & pupillus coheredes grauari, aut solus substitutus coheres grauatus, non potest non idem, quod adfertur est, obtinere.

### §. XXIX.

*Ius adre-  
scendi.*

Si plurium idem emolumentum ab eodem percipiendi ius concipitur, plures isti *coniuncti* in genere dicuntur. Sed coniuncti hi ad idem emolumentum vel ex dispositione vltimae alicuius voluntatis vocati sunt, vel non. Priori casu *coniuncti testamentarij* audiunt. Coniuncti vel in diuersa propositione coniuncti sunt, dum alij coniuncti in vna eademque propositione positi, vel non. Posteriori in casu *proxime sibi coniuncti* dicuntur. Iam ponamus ius, quod ex ipsa legis dispositione proxime coniuncto competit, portionem, quae alter coniunctus non positus, adquirendi. Idemque est, quod in genere *iuris* ad-

adcrefcendi nomine venit. Sed coniuncti alterius portionem vi iuris adcrefcendi vel coniunctus acquirere potest, etiamfi alter coniunctus eandem adquisiuerit, aliunde tamen, quam quod beneficio abstinendi vsus, iam non teneat, vel non, seu demum si alter coniunctus deficiat. Priori in casu ius adcrefcendi *personale*, posteriori vero *reale* seu *proprie tale* nominatur. Ius adcrefcendi reale vel coniunctus arguit titulo vniuersali vocatos, vel non. Priori casu ius adcrefcendi vniuersale est *l. 9. ff. de suis & leg. l. 1. §. 9. ff. ad Sct. Tert.* In quo si coniuncti sunt coheredes directi testamentarii, ius adcrefcendi vniuersale *in specie tale* est, cuius hic saltem ratio habetur. Quum, ante quam hereditas testamento delata ex omni parte adita, iuris ratio non heremittat, vt paganus pro parte testatus, pro parte intestatus decesserit, *l. 7. ff. de R. l. l. 19. §. 2. ff. de castrensi pec.* ex necessitate quadam iuris inualuit, ius adcrefcendi vniuersale in specie tale, coheredibus tum demum tributum, quum alioquin in hoc iuris principium impingeretur. Quare *in subsidium quidem tantum locum sibi vindicat, atque non modo substitutioni, verum etiam transmissioni cedit, ipso tamen iure portionem deficientis ignoranti quoque, immo inuito coheredi portionem suam aduenti adquisitam reddit, l. 31. l. 53. §. 1. ff. de acqu. vel omit. hered.*

Id certe non agimus, vt totum iuris adcrefcendi, qua late patet, doctrinam, si qua alias, subtilem ordine suo euolutam demus. Campum certe latiore ingrediendum, ac animus fert, atque aqua potenda foret plurium horarum, quam quas dissertatiuncule cuidam impendere moris est. Pauca quaedam ad scopum facientia in medium vel obiter proferre licebit. Principium, quo vsi sumus, iuri adcrefcendi vniuersali rationem praebuisse, magno cuidam viro non fuisse visum, notat BYNCKERSHOECK. *Obs. L. 2. c. 3.* forsan quod regulae locum demum concesserit, si ipsius testatoris dispositionis non vero effectus eius ratio haberetur.

aur. Verum non mutamus, vide enim *l. 37. ff. de testam. mil.* Sed negat *CVIACIVS Obs. L. 12. C. 11. & in recit. C. ad t. de cad. toll.* post legem *Iuliam caducariam* heredi portionem suam adquirenti ius adcrendi in portione vacante competisse. Nec abluere videtur *VLPIANVS t. 24.* post legem *Papiam Poppaam* non capientis partem fieri caducam statuens. Sed aut indeterminate, vti *VLPIANVS*, ita & *CVIACIVS* loquitur, & hoc magis excusandus est, quo seculum eius idem illud ferebat, aut determinate. Tumque miror, talia magno huic viro excidisse. Si quod enim ultimo alicuius elogio relictum est emolumentum, hoc vel iam tempore, quo testamentum condebatur, deficit, vel non. Priori casu *pro non scripto* habetur: posteriori vero vel deficiebat ante apertas tabulas aditamue hereditatem, vel non. Priori casu *caducum* erat, atque antiquitus *arario*, postea *isco* cedebat. *Caducum* vel *in causa caduci* dicebatur, si quod relictum intra tempus testamenti conditi & mortis testatoris deficiebat, vel *caducum proprie tale*, si intra tempus mortis ac apertarum tabularum aditæue hereditatis deficiebat, *l. vn. §. 2. & 4. C. de cad. toll.* Sicuti autem ius antiquum etiam post legem *Papiam* adhuc seruabatur in quibusdam personis, quas vide apud *VLPIANVM t. 18.;* ita in iis, quæ *pro non scriptis* habentur, ius adcrendi per legem *caducariam* non exsultat, *c. l. vn. §. 3.* neque cessat, si, quod relictum post apertas tabulas aditamue hereditatem defecit. Quod ne gratis adcreere videar, in medium proferam *l. 53. ff. de adq. vel omitt. her. l. 26. §. 1. ff. de cond. & demonstr. l. 34. l. 35. ff. ad L. Aquil.* Sed vt, quod belli calamitas introduxit, hoc pacis lenitas sopiret, *cit. l. vn. pr. C. de cad. toll.* medium ius correxit & antiquum abrogando leges *caducarias* restaurauit Imperator *cit. l. vn. §. 4. §. 5. C. de cad. toll.* Iam discrimini ius adcrendi vniuersale in specie tale inter & reciprocam substitutionem, eruendo paululum adhuc immo-

## §. XXX.

- I) *Conditio substitutionis reciprocae directae latior est, quam quidem conditio iuris adcrefcenti.* Conditio enim substitutionis reciprocae directae non modo conditionem inuoluit, si coheres heres non erit, verum etiam, si heres quidem erit, attamen certa ratione iterum decesserit (§. 16.). Iuri vero adcrefcenti non nisi conditio inest, si coheres defecerit, (§. 29.).
- II) *Substitutio reciproca prouisione hominis nititur, (§. 15. 1.) ius adcrefcenti vero prouisione legis non tamen absolute, sed demum, si prouisio hominis celsit, disponentis (§. præc.).*
- III) *Quamdiu substitutioni reciprocae, aut transmissioni hereditatis non adite locus adhuc est, exsulat ius adcrefcenti (§. præc.). Sed nequam statim transmissioni cedit substitutio reciproca (Schol. ad §. 8.). Iuri igitur adcrefcenti locus est, si coheres portionem suam adiens portionem ex substitutione reciproca delatam repudiauit. l. 6. C. de impub. & al. subst.*
- IV) *In iure adcrefcenti adquisitio portionis deficientis ipso iure contingit. In substitutione reciproca vero, conditione existente, hereditas ex substitutione ne per aditionem demum adquirenda est. (præc. & §. 20.)*
- V) *Ius adcrefcenti ad heredes coheredis portionem suam aduentis transmittitur. Alia causa est instituti heredis & coheredi substituti, huic enim uiuo defertur ex substitutione hereditas, non etiam, si decesserit, heredem eius sequitur. l. 9. ff. de suis & leg. her. utique si transmissariorum e numero non sunt, qui substituto heredes existunt.*

- VI) *In iure adcrefcendi ad proxime coniunctum deficiens portio pertinet: in fubftitutione reciproca vero ad omnes, quos fuo ex arbitrio teflator inuicem fubftituit, fuæ proxime coniuncti funt, fuæ non. (§. præc. & §. 17.).*
- VII) *Ius adcrefcendi femper a pluribus coniunctis pro rata portionum exercendum: in fubftitutione reciproca vulgari autem eadem falcim in fubftitutione repetita in dubio cenfentur partes, quæ in inftitutione fuere. l. vn. ff. 10. C. de cad. toll. (§. 17.).*
- VIII) *Ius adcrefcendi cum onere reali obtinet: in fubftitutione reciproca tantum fufcipiendum eft onus deficienti adiectum, fi de alia voluntate teflatoris non conftat. l. vn. 10. C. de cad. toll. l. 74. de leg. 1.*
- IX) *Ius adcrefcendi obtinet, fuæ vnus deficiat, fuæ plures: in fubftitutione reciproca vero res redit ad diftinctiones ff. 21 feq. propositas.*
- X) *In fubftitutione reciproca ulteriori gradu facta vulgari fubftitutus fubftituito, fubftitutus quoque cenfetur inftituito (§. 27.). Sed eiusmodi fubordinationes in iure adcrefcendi non concipiuntur.*
- XI) *In fubftitutione reciproca directa, fi difcefferimus a fubftitutione reciproca pupillari, in qua folius pupilli exhaufta legatis portio, vna falcim Falcidia feruatur (§. 28.): in iure adcrefcendi vero, fi portio exhaufta adcrefcit portioni non grauata, ratio legis Falcidiae perinde in ea ponitur, ac fi ad eum ipfum pertineret, a quo defecta fieret l. 78. ad L. L. Falcid.*

Verum



Verum nec defuit ratio, quæ olim substitutiones præ iure ad-  
 crescendi commendabat. Quum enim per caducarias leges here-  
 ditates caduce & quæ in causa caduci, fisco vindicarentur, ne-  
 que iuri ad crescendi in iis locus relinqueretur, (Schol. ad §. præc.),  
 testamentorum conditoribus sic grauissima caducorum obseruatio  
 visa est, vt substitutiones introducerent *l. vn. pr. C. de cad. toll.*  
 sed ex quo caducorum causam sustulit Imperator, non opus  
 amplius est substitutionibus, vt ne caduca cederet fisco heredi-  
 tas. Sed ideo non est, quod cum THOMASIO in not. ad HV-  
 BERI præl. ad *f. t. de vulg. subst. n. 2.* atque BEYERO ad *ff.*  
*ad t. de vulg. & pupill. subst.* post hanc substitutionem, in pri-  
 mis autem in praxi, substitutioni reciproca præ iure ad crescen-  
 di omnem vsum denegemus. THOMASIVS quidem *l. c. in*  
*scholio* de specie saltem substitutionis reciproca, quæ compen-  
 diosa est, statuere videtur, sed in noua additione perniciem omni  
 reciproca substitutioni machinatur. Nunc autem, inquit, post-  
 quam IUSTINIANVS leges de caducis abrogauit, etsi nullum ha-  
 beat amplius vsum substitutio reciproca, nec, credo, vllum eius in  
 praxi occurrat exemplum, non iniucundum tamen est, cam suæ  
 traditam vt videlicet & antiqui mores Romanorum non ignos-  
 centur, qui sepe viam pandunt ad intelligendas eo melius constitutiones  
 nouiores. Sed tota NOSTER errat via. HVBERTVS iam in re-  
 sponse ad dictum scholium discrimen adtulit, ex quo præci-  
 pius substitutionis reciproca quidam effectus adpareret. Ius  
 ad crescendi nimirum tantum inter coniunctos eiusdem generis lo-  
 cum habere, substitutionem reciprocam autem ad omnes cohere-  
 des æqualiter spectare, vrget. Quamuis autem iusto largius qui-  
 dem HVBERTVS mentem suam expresserit ac nos quidem in n. vi.;  
 futilis tamen est obiectio, qua nata, quam vocat, eius obiectio-  
 ni obuiam it THOMASIVS *l. c. in noua additione.* Secundum  
 regulam enim, quod quemadmodum testator dilexit heredes in  
 instituendo, ita eosdem dilexisse videatur in substituendo, ex re-  
 iproca substitutione perinde proxime deficienti coniunctum, de-  
 ficientis portionem reliquis coniunctis, præcipere putat, ac in iure  
 ad crescendi iuris est. Sed perperam ex hac regula hic iudicat

THO.

THOMASIVS. Certe si omnes coheredes realiter concurrerent ac quisque suam acciperet portionem, maior ex institutione re conjuncto obringeret portio. quam quidem personaliter conjuncto. Nihilo minus, tamen si alter personaliter conjunctus deficit, hunc deficientis totam portionem capere efficit. Interim non est, quod hoc Catone cum HVBERO simus contenti. Non omnia quidem, fateor, inter reciprocam substitutionem atque ius adcrendi quoad effectus discrimina coheredi substituto conducunt, vide enim n. IV. V. & XI. Verum enim vero, quae n. I. III. VI. VII. X. proposita sunt, utilissime reciproce substitutus subinde in usus suos conuertere poterit. Subinde quoque maiora erunt commoda haec ex substitutione reciproca redundantia, quam emolumenta in iure adcrendi pra substitutione praecipua, ut parum substitutus rerum suarum satageret, si hereditatem ex reciproca substitutione delatam ideo repudiaret, saltem ut iuri adcrendi locum faceret. Sic v. c. qui solus reciproce est substitutus parum sibi consuleret, si ut integram quartam Falcidia legatis ex portione grauata soluendis detrudere possit, ex substitutione adire recusaret, quum tamen, quod ponere possumus, minus acciperet, si omnes reliqui conjuncti simul iure adcrendi vterentur, atque partem facerent. Sed ex diffusissima substitutionis doctrina delibasse sufficiat.

T A N T V M.



ULB Halle


3

002 729 415



*Sb.*







1750  
LXXV.  
1865/116

DE  
TITVTIONE RECIPROCA  
EIVSQVE  
IVRE ADCRESCENDI  
DISCRIMINE.

PRAESIDE  
CONSULTISSIMO. ATQVE DOCTISSIMO  
NE HARTWICH REVERTERO

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE  
AD DIEM IV. IVLII clō 100CL.  
DISSERET

AVCTOR RESPONSVRVS  
NES EBERHARDVS SVTORIVS  
CAMINO-POMERANVS.

HALAE  
LITTERIS HENDELIANIS. (5)

f. XXIX. 2.

